

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 125. Commissarii ad instruenda judicii acta nominati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

ordinationes, & casus Papæ vel Episcopis reservatos nil nisi eorum ambitionis esse effectus. VII. Ecclesiam, quando Papa, Cardinales, Episcopi, totusque Clerus in peccato mortali constituti forent, potestate clavium destitui. Tandem VIII postulabatur de contemptu excommunicationis, eo quod toto sui itineris tempore omni die Sacrum celebrasset.

### §. CXXV.

#### *Commissarii ad instruenda judicium nominati.*

Vander  
Hardt tom.  
4. p. 22.  
oper. H. tom.  
in fol. 7.

**H**isce expositis designantur Commissarii, acta judicij contra accusatum instructuri. Id negotii datum est Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque duobus Episcopis. Hi igitur testes audiunt, iurandum recipiunt, eorumque testimonia conscribunt, atque illa ad Joannem Hassum in suo carcere infirmum deferrunt; Hic ad defensionem caussæ suæ Advocatum petiit, sed id fieri posse denegatum est, cum ex praescripto Canonum neque pro haeretico dicere, neque ejus caussæ patrocinium suscipere licet. Tribus hisce Commissariis ad percipendas testimonia depositiones nominatis adjuncti fuere plures alii, captivi hujus liberos examinaturi, nimirum, inter Cardinales

nales Cameracensis, Sancti Marci, Bran- **Sæcul. XV.**  
 catius & Florentinus, Frater Leonardus **A.C. 1414.**  
 de Florentia FF. Prædicatorum Magister  
 Generalis, & FF. Minorum Generalis  
 Minister Fr. Antonius de Pareto cum a-  
 liis sex Doctoribus. Nihilominus Joa-  
 nes Hussus in mediis hujus tempestatis  
 fluctibus tranquillitate mentis potitus,  
 carceris sui tedium plurium opusculorum  
 elucubratione lenire conabatur; scripsit  
 enim ibi libros de Matrimonio, de De-  
 calogo, de dilectione & cognitione Dei,  
 de pœnitentia, de tribus hostibus homi-  
 nis, de Cœna Domini, aliosque, quorum  
 in suis epistolis meminit.

### §. CXXVI.

#### *Adventus plurium Illustrium Virorum ad Concilium.*

**M**ense Decembri multi Proceres tam *Idem pag. 21*  
 Ecclesiastici quam sæculares Con-  
 stantiam delati sunt, inter alios Comes  
 Cilleiensis Sacer Imperatoris; Alberti  
 Austriaci, qui ejusdem Gener erat, Ora-  
 tores; Petrus de Alliaco Cameracensis  
 Episcopus, Genuensis, & Viennensis Ar-  
 chiepiscopi, Episcopus Ratisbonensis, Ar-  
 chiepiscopus Rigenensis, Legati Angliæ nu-  
 mero sex, Sarisberiensis, Bathoniensis &  
 Herfordiensis Episcopi, Abbas Westmo-

C c 5                      nasto-